



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Cap. XX. Proprium esse hominis, qui Deum intimè amat, de illo in quibuslibet suis sermonibus loqui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

CAPUT XX.

Proprium esse hominis, qui DEUM intimè amat, de illo in quibuslibet suis sermonibus loqui.

Habet hoc à natura omnis vehementior affectus, ut intrà cordis penetralia contineri tacitus nequeat, sed per oris aperta objectum suum sonans foras prorumpat, idque ex duplici capite: primò nimirum, quia, cum sermo sit vocalis quædam interiorum animi sensuum pictura, nec ullas ferè animus, dum ab objecto aliquo vehementer commovetur, nisi de illo cogitationes volvat; necesse profectò est, ut, si quid sui per verba vult exprimere, has exprimat. Secundò, quia affectus, quos in corde concipimus, vel jucundi sunt, vel tristes: & utrisque grata esse commemoratio objecti sui solet. Grata est primis, quia per eam vividior fit in animo, illumque consequenter plùs afficit objecti delectabilis species. Nec minùs grata est alteris, quia mœrorem suum loquendo aliis impertiens, illo se quodammodo exonerare animus videtur, respirátque à cordis pressura, qua se angit

experiebatur, dum eum intrà se clauderet. Hoc porrò, quod in quibusvis affectibus evenire generaliter solet; multò magis in amore eorum omnium principe evenit, tanquam in eo, qui præter communes modò dictas rationes duabus sibi propriis incitatur ad crebrò, & libenter de suo objecto loquendum. Prima est, quia, cum amare aliquem idem juxta Philosophum sit, ac velle ipsi bona, amans aliquem inter cætera, quæ illi optat, bona, illius quoque notitiam, gloriàmque optet, necesse est. Quare ad eam in omnibus excitandam præclara illius decora ubique, & apud omnes commemorat. Ratio observata à Plutarcho, ubi scripsit: (L. 1. Symp. qu. 5.) *Cum dilectos amatores sui libentissimè videant, non minùs libenter laudant. Et amor alioqui in laudando verbosissimus est. Nam qui amant, cum sibi ipsis hoc persuaserint; tum aliis persuasum volunt, pulchros à se, & bonos amari.* Altera ratio est, quia juxta sanctorum Augustini, & Thomæ doctrinam, (Aug. L. 11. de Civ. c. 28. S. Th. 2. 2. qu. 25. a. 2.) proprium est quempiam amantis, simul cum illo illius quoque amorem amare, eaque omnia velle, & quærere, unde hic augeri consuevit: cujusmodi est inter alia de egregiis objecti amati dotibus loqui, tum

propter expressiorem harum imaginem, quæ inter loquendum de ipsis concipitur; tum propter incrementum vigoris, quod omnis affectus, eventilatæ instar facis, ab externis suis actibus ducit: idque potissimum, quando amans cum aliis eodem amore succensis colloquitur. Tum enim glomerantibus se intra uniuscujusque cor, tanquam multis in eodem foculo prunis, plurium cordium affectibus, uniuscujusque amor, alienorum vi æstuum, suos æstus congeminat: *Invicem sibi loquuntur*, (scribit Augustinus) *& quasi incensæ singillatim faciunt unam flammam: & ipsa una flamma facta ex collocatione sese incendunt, rapit illos.* (In Ps. 121.)

2. Cùm ergo innatum cuique amori sit, de nulla re jucundiùs, quàm de objecto suo loqui, dubitari minimè potest, quin talis quoque sit natura, & propensio nobilissimi inter omnes amores, nimirum divini: adeò ut qui sacro ejus igne medullitus flagrat, DEUM continenter in ore habeat, *eructans* in obvios quotque *verbum bonum*, nec nisi de eo loquens cum aliis, de quo uno intra se cogitat. Si enim spongia, balsamo plenissimè imbuta, nihil potest, ubi comprimitur, præter balsamum fundere; quonam pacto anima divinitate

tantummodo affectibus, & cogitationibus plena alias queat, nisi divinas voces depromere? Ut rerum terrenarum amatores non nisi de terrenis rebus loqui sciunt, (Joa. I. c. 4.) *De mundo sunt, ideo de mundo loquuntur;* Sic DEI amici nihil præter ipsum amantes de nulla re verba nõrunt facere, nisi de ipso. Nè mireris, inquit Augustinus, dum à Regio Prophetæ audis, beatos cæli cives sinè ulla fatigatione, & satietate *in sæcula sæculorum laudaturos DEUM.* Manifesta, inque promptu est rei ratio: nullum facturi sunt finem laudandi, quia nullum finem facient amandi. *Securi sumus, fratres, non nos satiabit laus DEI. Si deficias ab amore, deficies à laude. Si autem amor sempiternus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit; noli timere, nè non possis semper laudare, quem poteris semper amare.* (In Ps. 83.) Denique hæc est Spiritûs sancti fœcunditas, & hoc, ut ita loquar, mutuuum officium, quod divino ille verbo pro activa spiratione sui reddit: producens illud saltèm *ad extra* per generationem temporariam in ore hominum, quemadmodum per emanationem æternam ab eo *ad intrà* procedit. Unde etiam sacro Pentecostes die superfundens se Apostolis linguarum imaginem sumpsit: perinde quasi indicare hoc signo vel-

let, eos, qui DEI spiritu, & amore afflantur, cælestem simul linguam ad sonandas DEI laudes acquirere, prout confestim videre in Apostolis licuit; qui, posteaquam *repleti sunt Spiritu sancto*, (Vid. Act. 2.) *cæperunt loqui magnalia DEI*: idque tam ardentem, ut multi audientium *eos musto plenos* arbitrarentur: adeoque tacendi impotes, ut, cum à Principibus Synagogæ vetiti essent Jesum prædicare; haud liberum sibi esse responderint, ab hujusmodi prædicationis officio desistere. *Non enim possumus, quæ audivimus, & vidimus, non loqui.* (Act. 4.)

2. Hoc itaque constituto, da mihi linguam, quæ nunquam ab humo se attollat, de DEO penitus sileat, nihil nisi profanum loquatur; quinam persuadere mihi possum, illam esse linguam è cælo delapsam, linguam hominis Spiritu sancto pleni, & divino amore flagrantis? Sanctus Laurentius Justinianus nunquam certè in animum inducet id credere cum hanc esse affirmet hominis DEUM veramantis notam, de DEO libenter loqui: *subdicens, Nam hic amantium mos est, ut amoris suum silentio tegere nequeant.* (In Lign. Vit. de Chast. c. 11.) Imò neque ullus id sibi existimabit credendum, qui illud divini Verbi oraculum au-

dierit, ubi pro argumento ad dignoscendum, qualis sit homo, illius designatur loquela: (Joa. c. 3.) *Qui est de terra, & de terra loquitur. Quem misit DEUS, verba DEI loquitur.* Inter cor, & linguam eadem intercedit, quæ inter fontem, ac rivum proportio: cum neque rivus alios ferat latices, quàm à fonte acceptos; neque lingua in alias voces erumpat, quàm quæ sibi suggeruntur à corde. Unde, quàm manifestò apparet, neutiquam posse dulcem esse, ac limpidum fontem, è quo salsus, cœnosusque effluere rivus cernitur; tam extra omne dubium est, haud posse cor hominis divinis esse affectibus plenum, cujus lingua non aliis, quàm vanis, terrenisque sermonibus scatet. Ut certò possimus statuere, bonane, an mala arbor sit, jubet nos cælestis Magister observare, quales, bonosne, an malos profert fructus? (Luc. 6.) *Unaquæque enim arbor ex suo fructu cognoscitur:* subjiciens paulò post ad significandum, quid speciatim hoc exemplo indicatum velit, *ex abundantia enim cordis os loquitur.* Si vis itaque, divino te amore succensum penitus credam; proprios mihi exhibe hujusce amoris fructus, videlicet verba, quæ ille ori consuevit dictare. Ità, inquam, verba exhibe: quando hæc nihilo mi-

nus, quàm ipsamet facta, imò etiam, si Plutarcho credimus, (*In Proæm. Apoph.*) ipsismet luculentius factis, hominis indolem, moreſque, & inſtinctus declarant. Quem in quotidiana cum hominibus conſuetudine non niſi de profanis rebus conſabulantem audiam, multò minùs exiſtimare DEO plenum poterò, quàm pro vite habere poſſim plantam, nihil præter lappas gignentem: cùm alieniores multò à divini amoris natura vani illi ſermones ſint, quàm à vitis feracitate infructuoſa hæc germina abhorreant.

4. Qui ex toto corde aliquem amat, quem admodum nihil præter eum in mente habet, ſic nec aliud habere poteſt in ore. Et DEUM eſſe unicam tuarum cogitationum materiam dicemus, cùm circa alia omnia tuæ conſabulationes verſentur? Amor, quàm gaudet obſecti ſui meminiffe, tam omnibus ſtudet modis expreſſam in animo illius memoriam ſovere: ſciensque, nihil huc magis, quàm crebros de illo ſermones conferre; nullam horum occaſionem non avidè arripit. Cùmque nulla in familiaribus colloquiis, & quotidianis ſermonibus DEI mentio à te fiat; perſuaſum mihi vis, vehementer erga illum te affici, & recordatione illius delectari? Præter-

terquam quod, quid minùs sibi congruens, quàm DEI amatorem te venditare; & tamen nullam illius notitiæ, atque æstimationis propagandæ inter homines curam gerere; ut ea de causa te pigeat, non dicam sudores, & sanguinem, sed vel ipsum, quo nihil est levius, vocis sonum impendere? Ah non iste, inquit Chrysofostomus, hominis DEUM enixè amantis mos est. Nempe is usque adeò sui, & communis Domini gloriam cordi habet, sititque; ut quietem habere nequeat, si vel ab uno quopiam mortalium ignorari illum viderit: centumque idcirco sibi linguas suffici optaret, quo incomparabilia illius decora prædicare pluribus posset, & omnes, quoscunque alloquendi facultas daretur, ad eum pro infinito suo merito colendum, atque amandum inducere. (*Chrysof. in Ps. 148.*) *Hoc est animi valde incensi, hoc ardentis amoris, omnes excitare ad laudandum eum, qui amatur. Hoc animi, qui magnam assidue capit voluptatem ex DEO, qui stupet, & miratur ejus gloriam.* Scisne, quis Deum ex toto corde amaverit? Amabat Ignatius de Loyola, (*Nolar. Comp. Vir. c. 18. & 20.*) qui germani nominis locò exprimi, ac distinguere solebat, Vir ille, qui cælum semper suspicit, & de DEO semper loquitur:

neque contentus, divini amoris scintillas per se ipsum in corda omnium, quibuscum congregaretur, disseminare; idem faciendum commendabat suis omnibus, quos hac illac per orbem terrarum dimitteret, breve hoc profecturis monitum suggerens: *Ite, incendite, & inflammate omnia.* Amabat similiter Petrus Faber, primus inter ejusdem Ignatii Socios, qui, quasi novum *vas electionis*, DEI Nomen longè, latèque per nobilissimas Christiani orbis provincias circumtulit, usque adeò ubique illud omnibus, magnis, parvis, notis, ignotis, Principibus, & privatis annuntians, ut scribere de illo Petrus Canisius potuerit, (*Orland. in vita L. I. c. 13.*) *Nullum ex illius ore verbum, sive in usu, familiarique congressione, sive dum mensæ accumbit, prodire audio, nisi quod DEI honorem, & pietatem sonet.* Hos, aliòsque hujus notæ DEI famulos imitari cures, *testificans minori, & majori (Act. 26.)* summam DEI magnitudinem, & rite implens, quod eidem se facturum pollicebatur David in eo Psalmi 21. versiculo: *Narrabo Nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Tunc enim *exaltationes DEI in gutture habens*, credi poteris, illius quoque te charitatem in corde habere. Nam cæteroqui amor mutus por-
ten-

tenti genus est, non minùs novum, & incredibile, quàm esset fulmen sinè sono, & sinè ullo strepitu emicans.

5. Neque solùm filere de DEO, sed frigidè itèm, & quasi de aliena, vel tenuis pretii re loqui, amoris defectum indicat. Quemadmodum enim proprium est quorumvis affectuum, per verba in apertum exire, sic, quando concitati, & vehementes sunt, fieri non potest, quin magna cum vi, & rapido impetu exeant: ritu scilicet fluvii, qui, aggerum repagula eluèctatus, quantò majori tumet aquarum mole, tantò violentior exundat: vel ingentis flammæ instar, quæ angusti cavi conceptaculo inclusa circumjectos libertati suæ obices haudquaquam placida, & silens, sed immani cum fragore perrumpit. Nemo equidem altè irâ, vel dolore commotum arbitrabitur, qui sedata voce, tranquillo vultu, & comunibus verbis de facta sibi injuria queritur. Sed dicet illi, ceu quondam Tullius remisso, frigidóque Oratori, (*Val. Max. L. 8. c. 10.*) *Tu istud, nisi fingeres, sic ageres?* Non ità affectus loquuntur. Alia est hominis intimè exæstuantis oratio. Tunc ignescit vultus, scintillant oculi, totum corpus agitur, & ex ore non tam verba, quàm tonitrua prodire

ire

ire audiuntur. Breviter : talis ibi est sermo , qualem Poëtæ , veri imitatores , personis attribuunt , iratis , dolentibus , aut alia vehementi perturbatione incitatis : sermo nempe acer , vividus , effervesceus , penitusque affectu illo imbutus , à quo linguæ suggeritur. Ostendit id non illepidè Græcus Orator nescio cui , qui colapho ictus suam ipsi causam contra nefarium percussorem in iudicio agendam detulerat. Audiens quippe , suam id genus contumeliam non minùs pacatè ab eo exponi , quàm si alteri cuivis illata esset , quo hominem à torpore illo animi expergefaceret. At qui ô bone , respondit , nihil hìc injuriæ tibi factum agnosco. Cùmque ille hac responsione acriùs , quàm accepto antea colapho irritatus : itane , vociferaretur , nihil injuriæ sit , ingenuum , honestumque hominem ita cæsum fuisse ? Pergeretque ardentibus verbis rei indignitatem exaggerare , nè plura subjecit. Satis jam persuasisti , te injustè pulsatum , dum talem loquendo te exhibes. (*Plut. in vit. Demost.*) *Audio vocem injuriam passi.* Quæ cum ita se habeant , haud satis existimandum tibi est , si in familiari cum hominibus consuetudine DEUM habeas pro loquendi materia : sed tanto etiam cum ardore animi de eo loqui

de-

debes ; ut, quisquis colloquio tuo interest, dicat : *Audio vocem amantis.* Debent verba, quæ de illo facis , non in extremis tibi labiis nasci , sed ex imo corde prodire , adeò ut possis cum Psalmista dicere : (*Ps. 44.*) *Eructavit* , non utique os meum , sed *cor meum verbum bonum.* Debet tua lingua, dũ laudes illius sonat, talis esse , qualem , teste Plinio , (*L. 9. c. 27.*) piscis Lucerna sortitus à natura est , qualémque in magni Basilii ore sanctus Ephrem aspexit , (*Sur. in V. S. Bas.*) lingua nempe ignea : ut succensi ab ea , qui te audiunt , profiteri possint , quod de se profitebantur duo illi auditores Christi , (*Luc. 24.*) *Nõnne cor nostrum ardens erat in nobis , dum loqueretur ?* Debet postremo (ut rem paucis concludam) omnis de illo tuus sermo esse , qualis à D. Paulo describitur , (*Ad Hebr. 4.*) *Sermo vivus , & efficax , & penetrabilior omni gladio ancipiti :* adeò ut in audientium animis non modò , ceu de Periclis sermonibus proditum est , (*Val. Max. L. 8. c. 9.*) *Quosdam quasi aculeos relinquat ;* sed vulnere altiùs impacto , magisque salubri , & vitali , *pertingat usque ad divisionem animæ , ac spiritus , compagum quoque , ac medullarum.* Alioquin , si iners , languensque , & oscitabundus fuerit , ipsomet manifestiùs silentio divini in
te

te amoris tenuitatem probabit. Cùm pluribus aliis causis adscribi possit, quòd de aliquo interdum taceatur; sed non nisi ad benevolentia, amorisque defectum referri possit, si languidè, & somniculosè de eo verba fiant: juxta verissimam Favorini sententiam, qui affirmabat, (*Gel. L. 19. c. 3.*) *Turpius esse exigue, & frigidè laudari, quàm graviter, & insectanter vituperari.* Ah non est, non est DEUS tale objectum, ut cum nullo, aut perlevi sensu agendum de eo sit, prout de quopiam fieret Indorum, vel barbaræ alicujus gentis Rege nobis prorsus extraneo: sed Dominus est tantæ amabilitatis, intimèque adè nobis conjunctus, ut vel brevissima, & fortuita illius mentio ad nos penitus ejusdem amore inflammandos deberet sufficere. Quemadmodum eveniebat D. Ignatio Loyolæ, (*Bart. Insi. L. 4. n. 28.*) qui, cùm DEUM tantummodo nominaret, nedum ubi ex professo de infinitis illius perfectionibus sermonem haberet; videbatur flammèam fornacem ingressus; tam perspicua confestim in vultu effervescente apparebant succensì penitus animi indicia. *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus. Numquid non verba mea sunt, quasi ignis, & quasi malleus conterens petras? (Jer. c. 23.)*

6. Quandoquidem igitur profiteamur ,
DEUM à nobis amari , *ex toto corde, ex tota
anima, & ex omnibus viribus nostris*; loquamur
de illo *opportune, importune*, cum omnibus,
quos habere obvios contigerit: loquamurque
cum ea delectatione, alacritate, & facundia,
quæ fervidè amantium propria est, quàmque
argumentum tam amabile exigit. Quemad-
modum ipsi cor consecravimus, ità consecre-
mus & linguam. Qui unicum est nostrarum
cogitationum objectum, unica itè nostrorum
fit sermonum materies; adeò ut hi omnes
de ipso, vel de rebus ad ipsum pertinentibus
agant: non verò ut scribit Chryostomus,
*de inanibus, & supervacuis, cujusmodi sunt: Quis
magistratum gerit? Quis magistratu abiit? Qua de
causa hic multatus sit: unde ille tantum lucratus:
quid ille huic moriens reliquerit: ac multa alia his
similia.* (*Or. in Kal. tom. 5.*) Cæli, eò quòd
proprium DEI habitaculum sint, nîl præter
illius laudes sonant: nec alios reddi concen-
tus ab iis animabus par est, quas idem DEUS
per amorem suum incolit, pròque terrestri
regia sua habet. Respondeamus profanis ho-
minibus, si quando nos conveniunt, prout
olim D. Bernardus magno præfuli, à quo va-
riæ sibi propositæ quæstiones fuerant: (*Prol.*
de

de Dilig. Deo.) Ad id solum, quod de diligendo DEO
 quæritis, respondebo. Hoc enim & sapit dulcius,
 & tractatur securius, & auditur utiliùs. Cætera
 diligentioribus reservate. Si de divinis rebus a-
 cturi huc venistis, felix, faustusque adventus
 vester sit: sin verò inanibus fabulis, & nugis
 tempus otiosè extracturi, divertere hinc aliò
 potestis. Illud quippe idiomatis genus pe-
 regrinum hìc omnino est, atque extraneum.
 Nè multa: conversationis nostræ sanctitas om-
 nibus palàm testetur, quod de se profiteba-
 tur Apostolus, dum ad Corinthios scriberet,
 (2. c. 2.) Non judicavi me scire aliquid inter vos,
 nisi Jesum Christum: nimirum nescire nos lo-
 qui, nisi de DEO, de infinitis illius perfecti-
 onibus, deque rebus ad illius obsequium, &
 amorem spectantibus. Unde nemo nos ade-
 at, nisi audiendorum hujusmodi acroamatum
 desiderio inductus: & nemo à nobis abeat, ni-
 si plenum prædicti desiderii sui pabulum na-
 ctus: juxta id, quod de S. Honorato in vita
 ejus proditur. (cap. 3.) Honoratum expetiit,
 quisquis Christum desideravit: & planè Christum,
 quisquis Honoratum expetiit, invenit. Rectè D.
 Terefia Carmelitanas suas, omnémque in iis
 amantem DEI animam alloquens: Nòrunt
 jam, inquit, mundani homines, sanctiorem vos vi-
 tam

tam profiteri, neque alios, nisi de ea sermones miscere. Hoc vestrum idioma est. Quisquis exter-
 norum agere vobiscum vult, hujus sibi usum paret. Alioquin cavere etiam, atque etiam oportet, nè vos
 contra illius linguam, quæ avernalis lingua est, ad-
 discatis. Si vos despicient, quasi rusticas; minimi
 refert, si, quasi hypocritas, adhuc minoris. Gran-
 de hinc assequemini lucrum, ut nè quisquam, nisi
 vestræ gnarus linguæ, ad vos invisendas accedat.
 (In Itin. Perf. c. 20.)

7. At nonnullos audire hìc mihi videor, qui, cum sibi persuadeant, & persuasum esse aliis cupiunt, DEUM à se toto pectore amari, fucatis rationibus student à contrarii nota purgare confabulationes suas, alioqui omnino profanas, nec nisi in argumentis futilibus, nugisque, & facetiis sinè ulla propemodum DEI mentione occupatas. Tuentur se igitur quidam honestæ relaxationis prætextu: causantes ità se confabulari ad sublevandam aliquatenus mentem, quæ totius diei spatio feriis intenta quàm studiorum, quàm rerum divinarum cogitationibus, eget indè paulisper avocari ad jucundiores materias. Vanissima excusatio, quaque sui erga DEUM amoris tenuitatem, dum conantur obtegere, manifestius declarant. Cùm enim, qui enixè, fla-

N n

gran-

grantérque amat, nullam habeat jucundiorém, quàm objectum à se amatum, colloquendi materiam, in nullis aliis, quàm divinis colloquiis plus jucunditatis reperiet. Fateor enim verò, mentem seriis diu cogitationibus, studiisque occupatam aliquo levamine indigere; sed nego, ad levamen hujusmodi opus amanti esse, animum ab objecto amato in diversa traducere: cùm relevari abunde possit, si à solitaria solummodo, tacitáque illius contemplatione ad familiaria de illo habenda colloquia se transferat. Quam diversitatem non objecti, sed attentionis duntaxat ad idem objectum in quovis occupationum genere instar esse laxamenti, & quietis videmus: occurrentibus passim quàm plurimis, qui post fatigatam diutina carminum scriptione, vel Philosophicis speculationibus mentem remissionis locò habent, communicare per sermonem cum aliis, quæ investigaverint veri arcana, quæve scripserint carmina. Videmus agricultores, scribit Laurentius Justinianus, cùm in unum coadunantur, repente, & sine tédio de iis, quæ agriculturæ sunt, sermocinari, artifices de artificio suis, mercatores de suis mercimoniis, oratores de suis facultatibus confabulari. Proh dolor! soli DEI servi, quæ proprio congruunt statui, au-

dire, vel loqui non curant. (De Disc. & Perf. Mon. Conv. c. 22.) Idque fatis valeret, quando etiam mentis fatigatio proveniret ex rerum divinarum contemplatione, ad plures continenter horas producta. Quòd si oriatur potius ex attentione, literarum studiis, vel externis negotiis, idque genus profanis objectis impensa; quonam pacto fieri potest, ut, qui vel mediocriter DEUM amat, post pleramque diei partem inter diversas ab eo cogitationes, atque curas exactam, pro novo labore, nec potius pro laboris solatio, & remissione animi ducat, illius sibi memoriam per sacra colloquia instaurare? Addo, (sive hoc nova ratio, sive major præcedentis confirmatio sit) cogitationes, quæ ad divinum amorem pertinent, quamvis seriæ sint, jucundissimas tamen esse, & ad animum potius oblectandum, quàm defatigandum valere: ut proinde per suprascriptam solummodo vicissitudinem jam eas tacite nobiscum volutandi, jam voce aliis imperiendi, vel totius diei spatio continuari, nedum sinè ulla molestia, & lassitudine, verùm etiam cum voluptate animi queant.

8. Certè homines sancti, & divino amore flagrantés nunquam usi tam frivolis excusationibus sunt, neque post solidos dies in DEI

contemplatione traductos, refecturos melius se mentem, quam sermonibus de eodem instituendis putarunt, similes mysticis illis Apocalypseos animalibus, ut omni ex parte oculatis ad contemplandum, sic nunquam non vocalibus ad dilaudandum DEUM: quæ, teste D. Joanne, (*Apoc. c. 4.*) *Requiem non habent, die, ac nocte dicentia, sanctus, sanctus, sanctus Dominus DEUS omnipotens.* Nisi quod, prout subdit Joannes Damascenus, hoc ipsum nunquam quiescere à cælestibus sui Domini laudibus, (*L. I. de Fide c. 16.*) *Erat requies eorum.* Talis fuit sanctus David, qui miram suavitatem in verbo DEI reperiebat, ut exclamaret: (*Pf. 118.*) *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel ori meo.* Talis D. Hieronymus, ad Damasum Pontificem scribens: (*Ep. 124.*) *Neque verò puto, aliam digniorem confabulationem fore, quam si de scripturis sermocinemur inter nos. Qua vita nihil puto jucundius: quo animæ pabulo omnia mella superantur.* Talis D. Catharina Senensis, (*Apud Rodr. p. 2. Tr. 2. c. 13.*) quæ nunquam fatigabatur loquens de cælesti suo Sponso, ut indè potiùs vigorem hauriret, & hoc esset remedium, ac levamen, quod sibi in morbis quærebat. Talis sanctus Præsul Remigius, de quo in vita ejus legimus;

(*SUR.*

(*Sur. I. Oct.*) Nullam illi ex omnibus curam propensio-
 rem fuisse, quàm ut aut de DEO in lectione,
 & sermone, aut cum DEO in oratione loqueretur.
 Tales antiqui Patres eremi, qui, quo sermo-
 num genere ab assidua rerum æternarum com-
 mentatione animum recrearent, videre est a-
 pud Joannem Chrysostomum, sic eos descri-
 bentem: (*Hom. 70. in Matt.*) Non enim, quem-
 admodum nos alium Principem esse factum, alium
 principatu excidisse, cæteraque hujusmodi, quæ ni-
 hil ad nos pertinent, colloquuntur: sed de futuris
 semper philosophantur: & veluti alium, quàm nos,
 orbem inhabitantes, quasi in cælum translati, &
 ibi viventes; sic de cælestibus semper, de sinu Abra-
 he, de coronis Sanctorum, de societate Christi di-
 sputant. Præsentium verò nulla ibi commemoratio
 est. Sed veluti nos nunquam, quid formicæ in ca-
 vernis suis faciant dicimus; eodem illi modo, quid
 nos faciamus, nolunt cogitare. Neque dissimi-
 lia reliquerunt hoc in genere exempla, seu B.
 Scholastica, quæ non contenta, totum diem
 in spiritualibus cum fratre suo Benedicto col-
 loquiis traduxisse; coëgit hunc, impetrato à
 DEO iambre, totam etiam, quæ subsequuta est,
 noctem, in iisdem secum pertexendis consu-
 mere: (*Greg. Dial. L. 2. c. 33.*) Sicque factum
 est, ut totam noctem pervigilem ducerent, atque

per sacra spiritualis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent : sive Abbas Servandus , qui similis pabuli gratiâ ad eundem Benedictum ventitare , cùmque eo diu versari consueverat : (*Ib. c. 35.*) nempe , ut dulcia sibi invicem vitæ verba transfunderent , & suavem cibum celestis patriæ , quem adhuc perfectè gaudendo non poterant , saltè suspirando gustarent : sive pius ille apud Cassianum Monachus , Machetes nomine , (*L. 5. c. 29.*) qui , si quando otiosè confabulantibus interesset , somno sibi caput prægravari experiebatur : contrà verò , ubi de divinis rebus haberentur colloquia , experretus , atque alacer dies , noctesque in iis perdurabat. Sed lepidum memoratu , dignumque coronidis locò hic apponi est , quod duobus Monachis accidit. (*Rosw. L. 3. de vit. Patr. n. 6.*) Nempe horum alter , cùm ab altero officii , & benevolentix causâ conventus in cella esset , fraterna humanitate advenientem excepit : utque illum diem in hospitis gratiam lautum , hilarèmq; ageret , exiguam lentis ollam , genialis convivii caput futuram , igni apposuit. Priùs tamen , quàm cibum fumerent , placuit aliquid temporis sacrarum Litterarum lectioni , & psalmis concinendis impendere. Quia in occupatione non reliquus

mo-

modò illis diès, sed tota etiam superveniens nox minimè præ interioris dulcedinis sensu advertentibus fluxit. Tunc enim cognito primum jam novi diei jubar illucescere, fermocinari invicem de divinis rebus aggressi sunt: eamque fermocinationem usque ad nonam ferè diei horam protraxerunt tanta cum voluptate, ut neutri redeunte in animum destinatæ refectionis memoria; hospes demum vale dicto sic jejunus, prout venerat, ad suam cellam redierit. Nec alter ante diei vesperam animadvertit, ollulam in camino etiamnum plenam, atque intactam perstare. Quapropter, cum tam sapidum, & delectabile animabus DEUM intimè amantibus divini Verbi pabulum sit, ut eas etiam in necessarij cibi oblivionem adducat; promptum est cuique hinc arguere, num hujusmodi animæ ad relevandam mentis fatigationem opus habeant colloquiis profanis, vel, ut imperfectiores loquantur, jucundis, atque amœnis vacare, perinde quasi verè amanti ulla offerri possit jucundior, atque amœnior, quàm objectum à se amatum, colloquendi materies.

9. Nihilominus, quia non in omnium spiritualium virorum pectoribus tam perfectus flagrat DEI amor; nec consilij mei est, in se-

cunda hac parte proponere, nisi quæ præstari ab omnibus facile, & suaviter queant; dandum esse aliquid minùs perfectorum imbecillitati puto: neque à quovis DEI seruo exigendam omnimodam illam loquendi sanctitatem, quam à Clarevallenfibus Monachis Abbas Gilbertus exigebat, cùm scriberet: (*Serm. 18. in Cant.*) *Memento os tuum caelestibus oraculis consecratum. Sacrilegium putà, si quid non divinum, non de sancta Pagina sonet.* Præsertim verò, cùm à S. Thoma didicerim, (*2. 2. qu. 168. a. 2.*) inter alias virtutes unam quoque existere, Eutrapeliam nomine, cujus sit tempestiva jocosum, & salium festivitate familiaria colloquia condire: idque confirmatum videam plurium exemplo, qui, licet eximia sanctitatis laude emerent, non tamen dissentaneum huic putaverunt, de materiis nonnunquam indifferentibus confabulari, & lepida quapiam narratione, vel joculari dicto modestum sibi, atque auditoribus risum ciere. Non ità abnueri, posse eum, qui perfectæ cum DEO conjunctioni studet, ad honestam mentis relaxationem, de rebus interdum suapte naturâ jucundis, neque tamen spiritali vitæ noxiis differere. Hoc unum contendo, ordinariam, ac præcipuam differendi materiem,

em DEUM illi esse, ac res divinas debere; & quando etiam de aliis rebus confabulatur, oportere, ut ad DEUM semper recurrat, nullumque non sermonem interposita, vel adjecta illius mentione expiet, consecrétque: ostendens hoc pacto, invitum se alibi, & necessitatis potius, quam propensionis suæ causâ versari: dum ubi versans nititur, quantum potest, ad suum princeps, & unum per se amabile objectum reverti.

10. Majorem habere veri, & rationis speciem videtur illorum excusatio, qui dictitant, si sui tantum arbitrii res foret, sociosque ad ingenium suum factos nanciscerentur; Deum se tantummodo pro materia loquendi habituros veluti objectum, in quo uno idoneum sibi pabulum, & oblectamentum reperiunt. Sed enim verò conversandum multoties sibi esse cum hominibus, vix ullâ tinctis rerum divinarum scientiâ, minimèque aptis ad mutuum de iis conferendum sermonem: quare, nisi velint aut *effundere sermonem, ubi non est auditus*; (Eccles. 33.) aut inurbano silentio conversationis jucunditatem turbare; cogi se, quamvis nolentes, ad profana cum iis miscenda colloquia. Huic igitur excusationi ut respondeam, & certum aliquem terminum

num definiam, intrà quem probanda, & ultra quem reprobanda sit; fateor equidem, cum prædicto hominum genere haud posse diutinam de divinis rebus colloquutionem institui. Nihil enim iis ad sermonem conferentibus, collationis, & colloquii locò unus solùm loqueretur, contra quam usus, & natura familiaris consuetudinis ferat. Adde tamen, ut cavere importunam hujuscemodi severitatem debemus, sic oppositum quoque facilitatis immodicæ scopulũ esse nobis vitandum: adeò ut medium quoddam iter tenentes, patiamur quidem profanos homines de caducis, & terrenis rebus aliquantisper differere: sed nonnullam, & ipsi vicissim æternarum, ac cælestium subjungere mentionem curemus: neque ille observatus à D. Augustino error nobis illudat, *ut narrantes inania primò quasi toleremus, nè offendamus infirmos, deinde paulatim advertamus libenter.* (Conf. L. 10. c. 35.) Epictetus etiam quemvis sapientiæ amatorem monet, ut, quantum potest, studeat *demutare eorum sermones, qui secum sunt, in id, quod deceat.* (Enchir. c. 38.) Imò, quantò minor in iis, quibuscum agimus, DEI notitia est, tantò noster erga illum amor stimulare acriùs nos debet, ut hanc illis impertiri conemur, per insertos colloquio bre-
ves

ves quidem, sed vividos de incomparabilibus DEI perfectionibus sensus, qui velut aculei in eorum animis hæreant, & altiore illa, quam ad nostrum congressum attulerant, rerum divinarum æstimationem iis imprimant. Unde in nos itidem quadret nobile illud elogium, quod Breviarii Romani Lectiones B. Catharinæ Senensi tribuunt: *Neminem accessisse ad eam, qui non melior abierit.* Neque id cuiquam profanorum hominum grave, molestumque accidet, dummodo prædicti de DEO sensus nequaquam abruptè, & intempestivè obtrudantur, sed ex ipsa sermonis, esto indifferentis materia commodè, mollitèrque eruantur. Cujus artificii perinsigne nobis exemplum DEI Filius reliquit: quando cum Samaritana fæmina loquens, ex præsentis putei aqua occasionem sumpsit mysticæ alterius, & spiritualis aquæ ipsi indicandæ: sedulos sui hujus exempli imitatores nactus tum Apostolum suum Paulum, qui *ignoti DEI* arâ casu Athenis visâ tanquam introductione usus est ad verum in Areopago DEUM prædicandum, *etiam inscriptionem fortuitam arte torquens ad argumentum fidei*, prout de illo scribit Hieronymus; (*Ep. ad Magn.*) cum famulum suum Ignatium Loyolam, qui, teste intimo ejus familiari, ubi
cum

cum hominibus mundo addictis congregetur; haud solebat in rerum divinarum tractationem subito irrumperere, sed ab ipsismet eò paulatim se sinebat deduci: incipiens plerumque sermonem à materiis, quæ ad professionem singulorum spectarent, putà à bello cum militibus, & à mercatura cum negotiatoribus: mòxque eundem leni flexu ad alia bella, & ad alia mercimonia, victorias nimirum de vitiis, & caelestium opum lucra detorquens. Quod ille esse dicebat, alienà vià intrare, suà egredi. (*Bart. Inst. L. 4. n. 20.*) Rectè D. Gregorius super iis Apostoli verbis: *Insta opportune, importune: dicturus*, ait, *importune, opportune præmisit: quia scilicet apud Auditoris mentem ipsa sua utilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit.* (*Past. p. 2. c. 4.*)

II. En igitur, quonam pacto cum profanis hominibus fructuosè juxta, & suaviter conversari possimus. Quod si vel inani metu impediti, nè aliquid iis molestiæ afferamus, vel puerili verecundia cohibiti, nè importuni, ac justo severiores videamur; colloquium, & à terrenis rebus exordium sumere, & in eisdem desinere, citra ullam DEI mentionem permittimus; quonam prætextu nostrum in eo amando teporem excusare poterimus:
cùm

cùm futilibus adeò de causis negligamus illius
notitiam, æstimationemque apud homines,
qui ea carent, propagare: officium, ut jam
suprà vidimus, cujuslibet impensè amantis
maximè proprium, diligentissimèque à veris
DEI servis curatum: de quibus canit Prophe-
ta, (Ps. 144.) *Gloriam regni tui dicent, & poten-
tiam tuam loquentur: ut notam faciant filiis ho-
minum. potentiam tuam, & gloriam magnificentie
regni tui.* Næ ità se accommodare inter col-
loquendum mundi amatoribus non est, ait
Gilbertus Abbas, inclinare se aliquantulum,
sublevandi eos causà ad sensus, atque affectus
cælestes, sed in idem lutum, in quo ipsi jacent,
se abjicere: (Serm. 35. in Cant.) *Qui ad va-
nas confabulationes prolabitur, non condescendit,
sed cadit.* Et D. Bernardus, non ferens id, à
quibusdam specioso charitatis, & prudentiæ
nomine insigniri: *Ista, inquit, charitas destruit
charitatem: hæc discretio discretionem confundit.*
(Apol. ad Gul.) Et jure ille quidem: cùm per
speciem dandi aliquid proximorum infirmi-
tati, non illis utilitatem, verùm sibi afferant no-
xam. *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tri-
bulatio, sed ex æqualitate,* scribebat D. Paulus
Corinthiis. (Ep. 2. c. 8.) *Qui, si factus est infirmis
infirmus, Judæis tanquam Judæus, iis qui sinè le-
ge*

ge erant, tanquam sinè lege esset, verbo, omnibus omnia; non ibi aliud spectavit, quàm ut omnes faceret salvos. (I. ad Cor. c. 9.)

12. Neque relinquendi sunt sinè responso alii quidam illiterati, & humilioris loci homines, qui necessariæ authoritatis, & facundia defectu impediri se dictitant, nè pios sui animi sensus liberè apud omnes depromant. Jeremiæ similes, cùm designatus à DEO suorum oraculorum præco tam sublimem provinciam deprecaretur, reponens: (c. 1.) *A, a, a, Domine DEUS! Ecce, nescio loqui, quia puer ego sum.* Dico igitur his primò, si commemorati defectus impedimento illis sunt, nè cum personis dignitate, & doctrinâ superioribus de DEO sermonem instituant, non deesse tamen alios sui ordinis plurimos, quibuscum, nulla obstante verecundia, sanctas suas cogitationes communicare simpliciter queant. Addo, proprium amoris esse, ut, quos intimè, penitúsque succendit, animosos reddat ad loquendum coram quovis hominum genere de persona, quam diligunt, nec patiatursensa iis, & verba deesse ad præclaras illius doctes exprimendas idonea. Sed talis supra omnes alios amores est amor divinus: cujus ordinarii effectus sunt, *aperire os mutorum, &*
lin-

linguas infantium facere disertas: adeò ut illo afflati plus dicant, quàm nòrint, & majores in congressu appareant, quàm sint. Quales imprimis fuisse Apostolos novimus, qui piscatores cæteroqui, & idiotæ simul atque divini Spiritûs igne inflammati sunt: *Loquebantur verbum DEI cum fiducia* (Act. 4.) coram adversariis, & Principibus Synagogæ, inque perorandi efficacitate Demosthenes supergrediebantur, ac Tullios. In summa, *ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* (2. ad Cor. 3.) Amet DEUM, quantum David, qui cum eodem vult canere: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebam.* (Ps. 118.)

13. Postremò persuasum esse illis velim, ad loquendum fructuosè de rebus divinis, nullam seu doctrinæ sublimitatem, seu verborum elegantiam necessariò requiri: inò sæpe accidere, ut sensus aliquis, simplex cæteroqui, & vulgaris, sed *ex abundantia cordis* erumpens, magnòque cum ardore animi expressus vehementiùs auditores afficiat, quàm elaboratissima, & doctissima quævis oratio. Testimonio sit, quod in vita P. Balthasari Alvari proditur. (c. 44. & 45.) De commemorato mihi superiùs Joanne Ximeno, domesticæ rei inter nos adjutore, nullis illo quidem

li-

literis tincto, sed divinis sensibus affluente, ut se continere ab iis depromendis nequiret: quique factus est aliquando, prohibitum se initio nonnullâ verecundiâ fuisse, nè coram quovis personarum genere id ageret: sed demum statuisse, illa humanæ prudentiæ retinacula abrumpere, & cum omnibus, cujuscunque tandem conditionis, dignitatîsque forent, de DEO libere loqui. Nempe is quadam die jussus à suo Præsîde ad Collegii Patres, dum mensæ accumbebant, de pio aliquo argumento verba facere; tanto cum spiritûs fervore, & sententiarum pondere id præstitit, ut Auditores, præstantis cæteroqui doctrinæ viros, rudi illa, incultaque, sed cælestis sapientiæ plena oratione vehementer commoverit: præcipuè verò, cum demonstraturus permultos in religiosis familiis magni nominis concionatores, atque insignes Theologos, quamvis sat largo divinarum veritatum comœatu abundant; nihilominus, quia cæleste illud pabulum aliis potiùs dispertiunt, quàm eo in alimentum suæ animæ utuntur, necessariis ad spiritualem profectum viribus destitui; exempli causâ præmisit, quod videre sibi nuper contigerat: duas scilicet mulas, quæ hordei plastro alligatæ, vix illud, licèt prægrandi, &

& bene compacto essent corpore, emoliri è cæno potuerant: non absque sua admiratione ob hujusmodi imbecillitatem in jumentis aspectu tam validis: donec sciscitatus ex aurigante causam, parcitatem cibi esse audivit: quia nimirum jumenta illa hordeum quidem aliis vectarent, sed justum ex eo ad suas vires instaurandas demensum minimè acciperent. Quæ imago, quamvis initio propter ignobilitatem materiæ ridenda nonnullis visa sit; ubi tamen ab illo ad rem seriam, inque spiritualis argumenti sui usum traducta est; altè animos pupugit, & lacrymas pluribus movit. Neque hi successus extraordinarii, & usu infrequentes existimari debent: cum rideamus subinde primariæ authoritatis viros boni consulere, nec sinè approbatione audire simplices rerum divinarum sensus, à cœnobita quopiam, etiamsi laico, vel tyrone, piè sibi, candidèque propositos.

14. Ut ergo certa aliqua praxi totam hanc tractationem concludam, tria distinguo personarum, quibuscum conversari possumus, genera. Primum nempe hominum, qui assidue cum DEO conjunctioni studentes de nulla re jucundiùs, quàm de illo vel loquuntur, vel loquentes audiunt. Alterum eorù, qui sic

O o

ut

ut continenter defixas in terrenis rebus cogitationes, curasque habent; sic de iis solis confabulari nōrunt, solentque. Tertium eorum, qui, cūm occaluerint sive in vitiis, sive in pietatis tepore, & religiosi sui officii neglectu; non modò piis sermonibus non delectantur, sed neq; eos ferre auribus possunt, apertèque fastidiunt, & conantur abrumpere. His præmissis, si cum primi generis hominibus differendum sit, gaude, nactum te esse, quicum possis libere sanctos tui animi affectus communicare, sociūmque alloquens Davidico illo carmine: (*Pf. 33.*) *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in id ipsum;* à DEO loqui incipe, cum DEO perge, in DEO define: adeò ut juxta Ecclesiastici monitum, (*c. 9.*) *Omnis enarratio tua sit in præceptis Altissimi.* Ex qua familiari, & amica divinorum sensuum cōmunicatione illud in utroque pietatis incrementum sequetur, quod D. Augustinus in se, & sancta parente sua Monica secutum fuisse tradit, ex colloquio invicem habito de perennibus futuræ vitæ gaudiis paulò priùs, quàm ad hæc Monicam DEUS evocaret. Cujus colloquii posteaquam partem ille aliquam retulit, subdit, (*L. 9. Conf. c. 10.*) *Dicebamus talia, licet non isto modo, his*
ver-

verbis. Tamen Domine tu scis, quod illo die cum talia loqueremur, & mundus iste nobis inter verba vilesceret cum omnibus delectationibus suis; tunc ait illa, fili, quantum ad me attinet, nulla re jam delector in hac vita. Ità, inquam, similes tu quoque fructus percipies ex tuo sacro, & merè spirituali colloquio. Quemadmodum enim tale est nutrimentum corporis, quales cibi, quos per os sumit; sic, authore Salomone, tale est nutrimentum spiritus, qualia verba, quæ per os promit: neque ad imbuendam sanctis cogitationibus, atque affectibus mentem quidquam magis, quàm sermonum charitas confert. *De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, & genimina labiorum ipsius saturabunt eum.* (Prov. c. 12. & 18.)

15. Jam verò si cum mediæ classis hominibus te colloqui oporteat, quandoquidem confabulatio non potest hic omnino spiritualis, & divina esse: curare saltèm debes, nè profana penitus sit, pergens quidem de materia ab ipsis proposita aliquantisper differere, sed opportunè pium aliquem sensum indè eruens, qui vividè, ardentèrque expendatur. Ubitamen tria puto esse observanda: Primum, nè in eo perpendendo immoreris diutius, quàm audire socii citra fastidium possint;

sint ; apparente siquidem aliquo hujus indicio , satiùs erit ad materiam indifferentem redire , quoad nova opportunità spiritualis alterius sensùs indidem eliciendi se offerat. Moderatione profectò saluberrima , exactèque custodita à prudentissimis illis divini Verbi administris, Ignatio Loyola , & Francisco Xavierio : quorum ille , prout refert Maffejus, (*In vit. L. 3. c. 11.*) *Cavebat , ne de rebus etiam divinis ad satietatem , & fastidium ageret* : Hic verò , juxta Turfellinum , (*In vit. L. 6. c. 11.*) *Salubres sermones , ne satietatem afferrent , magna solertiâ condire , mirâque varietate miscere consueverat*. Secundò observandum erit , nè prædicta sermonis profani ad spiritualẽ traductio subitimidè fiat , sed animosè , & alacriter , tanquam res , quæ ob sumam æquitatem , & convenientiam cum ratione gravis nemini accidere debeat. Unde iis etiam , quibuscum confabularis , idem de ea judicium concipiant , & pudori sibi ducant , minùs æquo vultu ipsam ferre. Nec abs re forsitan fuerit , si socii conditionis , atque ætatis gradu inferiores te sint , vanos eorum sermones aliquando præcidere meliorem prorsus abruptè , & sinè ulla transitionis cura materiam suggerendo. Quemadmodum fecisse olim Pyrrhus Epirotarum Rex memoratur.

tur, (*Plut. in vita.*) cùm in convivio quæsitum ex eo esset, præstantiorémne musicum Cephsiam, an Pythonem censeret. Nempe has de musicis quæstiones parùm decoras, atque idoneas existimans, quæ sibi tanto bellatori proponerentur, seria, & gravi voce Polyperconta præstantiorem videri sibi ducem respondit. Tertiò observari à te velim, nè, cùm à terrena colloqui materia ad sanctiorem transis, supercilium attollas, téque in novam gravitatis speciem componas, sed cum eadem, qua priùs vocis, ac vultùs hilaritate pergas loqui, ut, qui intersunt, indè agnoscant spiritualium mentionem rerum non utilem solum, sed jucundam quoque, ac suavem videri: nec jam ampliùs vulgari errore decepti arbitrentur conversationem, quæ sancta sit, hilarem esse non posse. Quod & D. Paulus te, ut facias, hortatur in iis ad Colossenses verbis, (*c. 4.*) *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus; & suo tibi exemplo commendat B. Antonius Abbas, quàm in cultu sui corporis rigidus, tam in spiritali conversatione lætus, & comis. Non enim (verba sunt S. Athanasii ejus vitam scribentis) ut in solitudine versatus, agrestis, & rigidus erat: sed jucundus, atque affabilis sermonem divino conditum sale promebat.*

16. Quod demum ad personas tertio loco recensitas pertinet, nullus sanè videtur patere aditus ad spiritualia cum iis ineunda colloquia. Quapropter duo supersunt, quæ circa hujuscemodi homines te agere oportet. Primum, ut eorum commercium, quantum fieri citra offensionem potest, devites: tanquam hominum, qui, cum diversi penitus à tuo idiomatis sint, nihil tibi possunt consuetudine sua vel utilitatis, vel oblectationis afferre. Ita planè Christus Dominus faciendum monuit, dicens apud S. Matthæum: (c. 7.) *Nè mittatis margaritas vestras ante porcos. nè forte conculent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.* Idémque priùs etiam monuerat Ecclesiasticus, tum c. 8. ubi ait: *Cum fatuis consilium nè habeas. Non enim poterunt diligere, nisi que eis placent,* tum 22. ubi expressiore sermone addit: *Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam. Serva te ab illo, ut non molestiam habeas.* Alterum, quod circa eosdem agas, est, curare, ut, si adjuvare illos nequis, nè ab iisdem saltèm lædaris: sique ipsi abnuunt spirituales tuos sensus audire; caveas tu prava eorum dicta approbare, dicens cum illo apud Cassianum Abbate Theona, (Coll. 21. c. 9.) *Si ego te abstrahere à morte non possum, nec tu me*
se.

separabis à Christo. Quare, si declinari aliquando eorum conversatio nequeat, utile factu erit, tacitum, & seducta in DEUM mente illi interesse: S. Francisci Borgiæ ritu, qui, uti in vita ipsius traditur, *si colloquium invito esset cum externis hominibus, quibus non saperet Christus, sermonem iis tacitus relinquebat.* Ipse colligere se, ut in secessu versari, locoque abdito videretur: admonitusque à nonnullis ex ea mentis abalienatione provenire, ut interdum, quæ parùm ad præsentem rem faciebant, responderet: *Malo, inquit, rudis, & hebes videri, quam temporis iacturam fecisse.* Omne enim tempus pervire existimabat, quod non aut DEO, aut ad DEUM pertinentibus transigeretur. (Schot. L. 4 c. 4.) Paucis, consuetudo juxta Senecæ documentum cum iis habenda est, qui possunt vel utilitatem nobis afferre ut primi, vel à nobis referre ut secundi: (Ep. 7.) *Cum his versare, qui te meliorem facturi sunt; illos admitte, quos tu potes facere meliores. Mutuò ista fiunt, & homines, dum docent, discunt.* Quantum verò ad illos, cum quibus neuter dictorum fructuum sperari potest, quales in nostra divisione sunt tertii; unum hoc restat, ut, nè ab iis inficiamur, eorum conversationem vitemus. Authore siquidem Laurentio Justiniano: *Qui cum*

*discolis conversari voluerit, fiet procul dubio eorum
similis. (De Disc. & Perf. Conv. Mon. c. 22.)*

CAPUT XXI.

De ardentibus desideriis DE-
UM palàm in cælesti gloria vi-
dendi, quæ illius amor in cordi-
bus suo igne succensis excitare con-
suevit.

EXercitia amoris hæcenus recensita, nempe jugiter cogitare de DEO, eúmque quasi præsentem ubique intueri, ac in quovis cum hominibus congressu de eo loqui, oblectare quidem aliquantulum, sed non explere penitùs amantem animam possunt: & juxta D. Augustinum, (*In Ps. 118. Conc. 19.*) *Solatia miserorum* veriùs sunt, quàm *gaudia Beatorum*. Per ea siquidem minùs utique intolerabilem, at non etiam optabilem experimur præsentis vitæ, ac temporis statum: nec exules esse definimus, sed aliquod solummodo habemus ærumnosi nostri exilii levamen. Quapropter necesse est, ut, qui DEUM intimè amat, ulterius vota sua porrigat ad suspirandam illius
in